DECUS
ARÆ PONTIFICIÆ
FLOS ROSINORUM
Purpuratæ Stirpis Honoribus
Et ſublimibûs meritîs
ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI & REVERENDISSIMI D.
FRANCISCI ANTONII
In Kobiele & Dmenin
KOBIELSKI
DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratia
EPISCOPI LUCEORIENSIS, & BRESTENSIS,
Sacræ REGINALIS MAJESTATIS
CANCELLARII
ORNATISSIMUS.
Ad exortam Inſulati Honoris Lucem
EXPLICATUS.
Et Panegyricò applausû adoratus
à Diecœſanis Societatis JESU Collegiis Luceorienſi, Oſtrogienſi, Breſtenſi, & Cremenecenſi.
Anno Floris Naſareni 1740.

LEOPOLI Typis Collegii Societatis JESU.

In AVITUM DECUS
Illustrissimi Antistitis.



Crescit Honos ex Te PRÆSUL: tituliq; nitorem
Accipiunt: pretium fascibus ipse facis.
Florida Præsuleas insignia tollis in Aras
Patritiamq; offers munera grata Rosam.
Hæc Famâ meritîs, & claro sanguine fulget:
Aris num poterat dignius esse Decus?

ILLUSTRISSIME REVERENDISSIME

PRÆSUL

Tandem diuturnis exoptata votîs, felicitati nostræ illuxit dies, quæ Præsuleum Tuum verticem Luceoriensibus Insulis *admovit* Antistes Illustrissime Reverendissime. *Quot jam desideriîs atq; tædiîs expectationem nostram fatigavimus? antequam collati honoris fastigium ascenderes: hactenus tamen differebat adventum Tuum sera Cælorum indulgentia; ut liqueret: Illustres famâ & sanctitate* Antistites, *non momentîs brevibûs, sed longioribus spatiîs a superis concedi. Diu nimirum desiderari, diu exorari debuit tanta felicitas populorum. Non horas, paucosq; dies, sed plura tempora impendere debuimus, ut aliquando præsentiam Tuam lucraremur. Prolixa proinde mora fessos tenebat animos, affligebat vota, vulnerabat studia; ut disceremus omnes: illa esse virtutum Tuarum decora, quæ, vix longioris expectationis patientiâ potuimus mereri. Sæpe spes nostras toties de Tuo Conceptas adventu novus excutiebat metus: ne, antequam, hanc quam adis, Cathedram emeritîs consignares vestigiîs, aliæ frontem* Præsuleam *Tyaræ exposcerent, Tuumq; Avitum florem nobis eriperent; priusquam illum, Axis* Luceoriensibus *inferres. Novimus enim, quàm celeres nominis Tui famam sequuntur*

Digni-

Dignitates. Verum quò velociores Tuis passibus instant Tituli, eò Tu tardior incedis ad honores. Volant alii ad fasces, Tu sensim progrederis: currunt alii, Tu ingentibus gravis rectefactîs lentè ad Dignitatis altum eluctaris. Iam multa videlicet meritorum geris pondera, ut festinare non possis. Sed jam faverunt Superi, & nostris coronam imposuerunt desideriis. Jam faventissimo lætamur adventu Tuo: Jam svavissimo vultûs Tui obtutu fruimur jam inter publicas ácclamationes, inter gratulantium animorum vota, inter communia omnium tripudia? Tuo honori, nostræq; felicitati plausum damus. Præcamurque: ut Te incolumem, ad Infularum decora, ad Patriæ commoda, ad cunctorum solatia, Numinis gratiæ diutissimè conservent, summîsq; honoribûs ac felicitatibus beatum reddant.

Ita vovet

Pastoralibus Gratiis

devinctissima

Societas JESU Diecœsana.

ADhuc tuám fatigant Modestiam aliæ ex aliis Dignitates: adhuc Avitum florem repetitis Fascibûs Pontificiæ invitant Aræ. ILLUSTRISSIME REVERENDISSIME ANTISTES. Illô scilicet virtutum amorè, illâ æstimationê, illâ reverentiâ accenduntur Honorum desideria; ut de Te Præsule, pulchrô gloriæ certaminê confligere videantur: Tuasq; dotes eximias, sibi invideant, exposcant, eripiant. Nec aliqua expectationis patientiâ, conspirantium in Te Votorum tædia teneri possunt; quin subitò, æmulationis correpta ambitu, in nova Dignitatum prælia erumpant. Non brevi moræ, non tempori, non tuæ demum modestiæ, parcit invicta Titulorum obstinatio. Vidimus! vidimus! quàm ferventibûs desideriîs, quàm celeribûs votîs, quàm pertinacibûs studiis, Tua Honores

merita exambirent. Vix nimirum Ecclesiarum Regimina, vix sacri senatûs subsellia, Te in altum evexerant; Vix Antinopolitana Infula coronavit Frontem; jam SERENISSIMÆ Reginæ Cancellarium, Lechia adoravit: jam Chełmenses Tyaræ, emeritum verticem exposcebant: jam jamq; obtinebant, nisi ultro venientem Dignitatē modestissima deprecaretur virtus tuá. Dein Camenecenses, mox Luceorienses Exedræ optatissimum Antistitem salutarunt. Quanta hæc de Tuis meritis Dignitatum contentio? instat Honori Honor, urget alter alterum, alius alium lacessit, trudit Infula Infulam, Tyara Tyaram insequitur, Tituli Titulis, Fasces Fascibus decertant. Veluti de immortalis famæ Laurea in Olympiorum stadiis ferverent certamina; ita in ampliori gloriæ Campo de Tuorum immortalitate operum vota omnium contendunt. Veluti de Troiæ Palladio Ulyssis bella gererentur, aut de Phrixeo vellere Jasonis studia inter maris procellas æstuarent, ita de viva scientiarum effigie, de Te nimirum Sapientissimô Præsulê populorum animi præliantur. Inde est, quod tibi unius dignitatis passus, ad alia Culmina ascensus fiat, & gestati muneris sublimitas succedentium Eminentiarum grádus facilis evadat. Non aliter ILLUSTRISSIMI Tituli Tui amplissimîs radiant fulgoribûs, ac Principes Astrorum Soles; qui dum peractæ diei jubar ad occasum ferunt, novos repetendæ lucis promittunt ortus.

tus. Aut certe Phænicem esse quemvis Honorem Tuum, facilè crediderimus: ita enim præcedentium dierum famam terminat; ut suomet à funere, nasciturі muneris ponat exordia. Eô duntaxat discrimine; quôd, cùm Phæbeias illas volucres sæcula progenerent; Tibi annorum mensiumq; intervallîs, Phænices Tituli oriantur. Quædam hæc liberalioris fortunæ sunt semina. quæ ideo emeritâ mittuntor manu ultroq; abiiciuntur; ut surrecturi inde honoris fructus pariant, & in novam messem gloriæ succrescant. Isti sunt meritorũ Tuorũ passus ANTISTES DIGNISSIME. Graderis per fasces, incedis per Purpuras, ab uno Fastigio, ad alias celsitudines ascendis. Munus quoddam superum dici potes, quod una dignitas offert alteri, una Infula alteri concedit. Cedat hic prodigiosum illud Olympi beneficium Romanum videlicet Ancile, quod libertati protegendæ, lapsum sideribûs, credebatur. Nobilius donum es Præsul optime: quadam cælesti indulgentia ad publicam Patriæ defensionem, ad Fidei tutelam, Sarmatiæ concessum, quia Tê Senatorê, Leges libertasq; tutior, Tê Antistitê Orthodoxa Religio securior, Divorum Cultus amplior, sacrorum Ritus ornatior, Zelus, Pietasq; ferventior elucescit. Hoc proinde non absq; arcano superum consiliô fieri arbitramur: quòd Te aliæ ab aliis exposcant Infulæ & accipiant. Volunt nimirum Cælestes gratiæ ut plures Exedras

tuâ probitatê impleas, plures, ſanctitatis Tuæ
veſtigiîs, ducas populos, & ubiq; ſvaviſſimum
virtutis odorem ab avita promanantem Roſa
relinquas. Norunt quippe ſidera, quod copi-
oſiſſimas virtutes Tuas, ita ſingulis dividere,
ita pluribus partiri officiis valeas; ut omnibus
meritorum Tuorum magnitudine poſſis ſuffi-
cere. Mereris quidem à primo ſtatim hono-
ris Tui ortu, ut ſummum Titulorum meridi-
em aſſequaris: ſed ignoſce tantisper Syderi-
bus: nec eorum parcitatem, ſed tuarum potiùs
virtutum amplitudinem accuſa, quod tam mul-
tæ, tamq; Illuſtres Tuô animô foveantur, ut
ád Communis boni commoda, ad pietatis e-
xempla, ad populorum vota, & ſolatia per plu-
res extendi debeant dignitates. Aſt exinde
quoq; majorem Tui nominis famam vendicas
quòd rectefactorum Tuorum magnitudo, ut-
potê amplioribùs digna Campîs, pluribûs glo-
riæ theatrîs dilatetur: ut multorum oculis ſpe-
ctari, multorum laudibûs attolli, multorum
Cultibus adorari queat. Ignoſce itaq; faven-
tibus Tibi ſuperis: imo æſtima illorum grati-
as; qui pluribus orbis partibus notas eſſe cupi-
unt virtutes Tuás. Tiberinis quoq; benefici-
is profundam habe reverentiam: tales enim o-
portet eſſe romanas Gratiás, tales eſſe decet
vel ex ipſo nomine Clementis Indulgentias;
quæ in Te Præſule ampliatæ, non uno arcten-
tur ſpatio ſed in plures profluant Regiones:
Id duntaxat ſive Tuam ſive aliorum indigna-
tionem

tionem contrá Titulos movere poſſet: quòd tam celeres ſint honoris Tui progreſſus, ut Te unius Curulis vix hoſpitem eſſe patiatur; quin illico ad nova virtutes Tuas transferat Subſellia. Quis profectò non importunam Tuæ modeſtiæ dignitatem dicat? quæ adeo tua moleſtat merita, adeo grandia rectefacta veloci gloriæ fatigat Curſu; ut nullis in ſubſelliis quietem vix exiguam concedat. Quis non injurioſum publicæ populorum fortunæ honorem appellet? qui avidis pretioſarum Dotum Tuarum mortalium votis diu gaudere Te Antiſtite non permittit. Porro acutius telum eſt ſi mox privamur obtentâ ſortê quàm ſi minimè conceſſa foret. Magis vulnerat animum ſubito erepta felicitas, quam negata. Verùm hæc etiam Dignitatis piacula Tuis appinge virtutibus Præſul Meritiſſime: quòd brevibûs temporum intervallis tantùm Tuo præſtes in munere, quantùm alii vix ætatum ſpatiîs concludunt, & illa nobis diebûs pene momentisq; exhibeas, in quæ plures cæteris deſudant anni. Quid igitur moram trahant Honores Tui? & non ſatiùs celerrimè Præſulis Rectefacta, ad parem felicitatem aliis concedant Officiis? ſi illa negotia, illos labores, illam communis boni fortunam, paucas inter dies perficis; quibûs ſoles plurimi laſſarentur. Longâ alii mora oblatas premunt curules, antequam illas, aliquibûs meritorum fulgoribus illuſtrent: Tibi vix pauci deſiderantur menſes, ut maxi-

mum Insulatis honoribus adferas nitorem. Nulla igitur prolongatione Dignitates indigent; ut à Te ingentia derivent ornamenta; Si Antistitii Tui solia primô statim irradias ascensu. Scilicet magnum Aris Præsuleis Decus adiicis: quàm primùm illis Gentilitium Florem infers.

Avitæ Rosæ decora a Virtutibus & Dignitatibus Illustrissimi Præsulis.

Quicunque Avitæ Rosæ Tuæ expendet decora: non exiguum ab illa, Aris Præsuleis, nitorem accedere autumabit. Quantæ enim in illa venustates? quantæ gratiæ explicantur? ex pulcherrimis virtutum Dotumq; Tuarum coloribus metimur. Licèt enim, satis nativâ elegantiâ ad oculorum illecebras, ad orbis delicias, ad Regales Titulos repingatur; pulchriùs tamen Tuìs efflorescit meritis, Tuis accrescit honoribus, Tuis Tuæq Prosapiæ Decoribûs coloratur. Procul hinc florentes Pæsti, blanditiæ; procul Hyblæ Hymettiq; Lumina, procul sidera Hortorum, ubi dignioribus Patritiæ gloriæ,& suæ stirpis fulgoribus Flos Rosinorum relucet. Quid enim ipse Floris gemmei candor denotat? nisi albô semper notanda calculô Tua decora? quid innocuus color docet? nisi puras illibatæ indolis Tuæ dies, Honorum albo inserendas. Ipsa Tibi in immortales Fastos Regalia Avitæ Rosæ folia explicantur, ut clarissima Tua rectefacta non jam àurô cedroquê, sed ipso candore notanda venturis ætatibus porrigantur. Habes innocentis animæ Tuæ Symbolum: habes ve-

ram

ram Virtutum Tuarum effigiem: habes demum Sacri Honoris Imaginem in Flore castissimo expressam. Nihil niveis moribus Tuis affiniûs; nihil sincero fidoq; omnibus Pectoris Tui Candori, viciniùs; nihil gemmæ Præsuleæ similiùs, quàm Aviti decoris puritas spectatur. Cerne Tuam Iconem, Tuasq; in illa virtutes & merita agnosce. Tantùm nempê illustrium gloriâ Gestorum florem Patritium adornasti; ut pridem creverit ad Purpuras candidatus. Adeò doctæ frontis sudoribûs irrigasti; ut in erudita folia, perennibus Sapientiæ characteribus digna, effloruerit. Adeô Dotum Tuârum, Dignitatum, & ILLUSTRISSIMÆ Domûs splendoribus îllustrâsti; ut se prîmum ad Titulorum ortum, dein ad Luceoriensis Tyaræ jubar explicuerit. Jam igitur plenus virtutum Tuarum odore flos Pæstanus, aris Præsuleis dignus efficitur: jam ad erudita scientiarum serta exposcitur: jam ad Honorum culmina assurgit. Quid quid ornamenti, pulcherrimæq; gratiæ, retinere cernitur; totum id de Tuæ Gloriæ fontibus ostendit promanasse.

Permitte Antistes optime, ut illa Gentilitiæ Rosæ Decora, quibûs Aræ Præsuleæ exornantur; ad immortalem Nominis Tui famam, ad sæculorum memoriam, ad currentium temporum venerationem, minoribûs quidem dignitate tua, sed affinioribus tuæ modestiæ Laudibus, evolvamus. O! Quanta & quàm venusta Gloriæ Symbola in Patritio aperiun-

tur flore! Tuarum ſcilicet virtutum clariſſimi fulgores: qui non aliter, quàm ſolis radii, avitam Roſam explicant, & illuſtrant. Tuæ quoq; eruditæ frontis pretioſi ſudores, qui non aliter, quàm rores gemmei gentilitii floris folia ad magni incrementa Nominis, ad altæ ſtirpis eminentiam, ad trabeati Honoris cultum irrigant, & reſpergunt. Tuarum demum Dignitatum, & ILLUSTRISSIMÆ Proſapiæ purpurei colores, qui pulchriùs quàm Pæſtani murices Gentilitium exornant florem, eòq gratiùs condecorant, quàm niveo candori Roſæ, id eſt canæ probitati Tuæ Honorum trabeæ: ceu gemmis corallia, aut albeſcenti cælo purpurata ſidera, ſociantur. Principes aviti pæſti decores ex Tuis creſcunt virtutibus; quæ addictum ſuperis pectus Tuum non aliter incolunt quàm Empireum Sanctitates, aram Divorum imagines Pantheon, Numinum ſimulacra. Et aliis quidem ita ſe ſe virtutes partiuntur; ut hunc attollat Religio, illum comitetur Juſtitia, hunc fortitudo, illum prudentia, alium temperantia cohoneſtet: & ſingula pretia ſingulos locupletent: Rarus aut nullus tam felix extitit, qui omnes animæ gazas poſſediſſet. In Te verò, adeò liberales cenſentur ſuperi; ut cunctas cæleſtium Donorum opes, & aureæ virtutis divitias: ceu pretioſos imbres in Jovis verticem, in Præſulem depluant, quadam plenitudine gratiarum. Ea eſt ſcilicet

virtu-

virtutum Tuarum integritas, quæ non partem duntaxat ſanctimoniæ lucratur, ſed totam obtinet probitatem. Velut in cryſtallum radii, latices in pelagum, in cælum innumeri fulgores; ita in Tuam integerrimam Indolem, ſe ſe virtutes recipiunt univerſæ. Nec pulchriùs omnium Muſarum imagines unione Pyrrhi, quàm cujusvis probitatis icones, gemmâ Præſuleâ tenentur. Multos mortalium, pauci ac diſtributi in ſingulos virtutum ſplendores illuſtrant. Te plurimi ſanctitatis radii coronant. *Et quæ diviſa Beatos efficiunt, collecta tenes.* Tantos ſcilicet integerrimæ vitæ theſauros animo concludis; qui toti orbi ſufficerent. Si namq; in plures terrarum incolas probitas Tua diſtribui poſſet; haberes quot in ſingulos divideres, quove, omnium corda mortalium, conſecrares. Adeò avaram Cæleſtium opum geris mentem; ut nulla virtutum pretia, manere extra gazas Tui pectoris permittas.

Quis enarrare valeat illam virtutum Præſidem, prodromam clariſſimorum operum auroram, agendorum regulam, conſiliorum Parentem Prudentiam Tuam? Illam Innocentiæ cuſtodem, Angelicæ vitæ nutricem, magiſtram abſtinentiæ, Temperantiam? Illam veritatis Patronam, noxarum hoſtem, Legum cauſarumq; pupillam, Juſtitiam? Illam Sanctam in adverſis pertinaciam, ſerenam in turbido iridem, proſperitate incorruptam forti-

Virtutes Illuſtriſſimi Præſulis.

C tudi-

tudinem? illa demum innumerc animæ Tuæ
dona? quis Oratorum Labor quæve elo-
quentia ſuis periodis claudere tentabit? Lice-
at tamen non tam laudibûs attollere, quæ
Tuis meritis impares cenſentur; quàm volan-
te pennâ tangere, illas ſaltem pietatis imagi-
nes, illuſtrium geſtorum fulgoribûs circum-
fuſas: quæ plurimarum virtutum ſunt quæ-
dam documenta, & indicia. Ut: cùm omnem
tot decorum magnificentiam exprimere non
poſſimus; ſaltem illorum veſtigia monſtremus:
ex quibus tota appareat amplitudo.

Num tacere poſſumus continuum in Te
Pietas Il- luſtriſſimi Præſulis, pietatis ſtudium? & junctam arctiſſimè cum
Olympo amicitiam: quâ adeò Te familiarem
cælo præſtitiſti, ut ſæpiùs loqui cum Numine,
cum ſuperis agere, quàm cum mortalibus vi-
dearis. In terris degens, ſæpiùs ſpiritu attolle-
ris ſupra terras. Adis mente, Penates ſide-
reos, igneo amore Dei, in altum tendis: Pie-
tate aſcendis ultra orbem: & nondum morta-
litatis limites prætergreſſus, animò Divis co-
habitas, ſideris more: lucem Tuæ præſentiæ
concedis terris, cælo tamen affixus manes.
Quaſi homo ſupra homines evaderes, nulloq;
corporis confiniô tangereris, adeò ſolius ani-
mæ teneris negotio, & ſpiritûs duntaxat ſtu-
diô moveris. Inde eſt, quod nulla magis col-
loquia, nullus floridus quantumvis ſermo, nul-
li libri magis Tibi arrideant, ſapiantve; quam
illi, quos ipſa dulcorat pietas, & rerum cæle-
ſtium condiunt ſvavitates. O! quibus ſola-
tiis

tiis afficeris? quibûs inflammaris desideriis? qua lætitia, vel in ipsum animi gestientis indicem vultum promanante, affluis? cùm vel ipse in Sacras voces ora solvis, vel pupillam aut aurem, Cælestium Athenarum scientiis concedis. Minùs Tibi placent ornatæ dictionis gratiæ, minùs illustribûs verbîs decorata eloquia, minus Oratoriô colore repicta facundia; quâm simplex, & pura æternorum narratio. Minùs sapiunt Platonis melle temperata dogmata, quàm condita superum ambrosiis ac nectare, misteria Virtutis. Non ita Ulyssis animum, Sirenum cantus, ac Tuum Sanctitatis voces demulcent: quibùs nunquam Navitæ illius more, aurium officia denegasti. Non aliter nempe candidi & innocui sermones, quàm Erithreæ gemmæ, Tuis auribus adhærent. Æstimas, quidquid, non jam divite Palladis imbre, sed cælestis sapientiæ fontibus promanat! appretias, quid quid gemmeis moribus affine, animæ opibus vicinum, virtutum pretio simile profertur. Illa tibi verba aurea, illa æstimanda dicta, quæ immortalitatis coronam promerentur. Quantas verò Tuo ab ore aliorum aures animiq; delicias capiunt? quoties non minùs sapiente quàm svavî eloquiò, pandis oracula Sanctitatis: Quoties jam Cælestium gratiarum cursum, Divinorumq; Sancitorum abyssos, jam æternæ faustitatem vitæ, jam fallaces terrenæ sortis progressus, ambigua mortalium fata, lubricam salutis se-

mitam Olympi favores, averni insidias, totamq; demum sidereæ Scientiæ doctrinam placido gratissimæ lingvæ munere evolvis. Crediderit quisquam, cùm tantam virtutis eruditionem â Tuo ore promanantem conspicit; Te ipsius Ascesis sinu educatum, pænè cum lacte, innocentis svadæ latices hausisse.

Exercitia Spiritualia peracta ab Illustrissimo Antistite, in Collegio PP. Soc. JESU.

Non miramur tamen eam in Te Sanctitatis facundiam, eam cælestem Rhetoricam, quâ non minùs doces movesq; atq; delectas animos audientium: postquam pluries spiritualem eremum, hoc est probitatis Lycæum, Sanctioris scientiæ Academum, Spiritûs Divini Scholam ingressus, æternarum veritatum studia tractasti. Provolamus sanctitatis amore exciti Oratores, ad Sacram illam solitudinem, in qua soli vacabas DEO; solis loquebaris superis, soli studebas pietati. Jamq; in primo Limine videmur nobis in eremum Antonii, in antra Paphnutii, in Macarii abdita, in Hieronymi desertum incidisse; nisi quod illi ad ultimos terrarum fines, ultra Thulen & Garamantas, suam deportarent Sanctitatem, ut longiùs ab orbe tam corpore quàm animo distarent: cùm Tu præsentiâ nobis affinior, virtute tamen cælo ipsi proximus fuisti. Videmur alvernum indigetis Tui spectare montem; cùm Te, ad Sanctimoniæ fastigia Spiritu elevatum cùm, Cælestium Gratiarum Luminibûs illustratum, & penè in Seraphinum ardore pectoris conversum contemplamur. Complectimur

jam

jam animo illos Tuæ pietatis teſtes Religioſos Lares: quos Virtute propria, reddideras Sanctiores: quos Præſuleîs conſecraſti veſtigiîs: quos Dignitatis & meritorum luce, ferè in Penates ſidereos tranſmutaſti. Recolimus illud Devotum animæ otium (maximum dixero negotium) ubi non minùs ſuperum recreabas conſpectum; quàm in ſacerrimis conatibus deſudabas: Receperas Te in Religioſas umbras quas non ſolum ILLUSTRISSIMIS Titulîs, verûm & rectefactîs clariſſimis ſplendidas effeciſti. Novô Sanctimoniæ prodigio inter noctes ſtellasq; Lojolanas Phæbus Antiſtes radiabas. Proinde ita latere non poteras, ut inter minimas Ignatii Stellas, Te primæ magnitudinis ſidus, Tuorumq; meritorum jubar, facilè orbis Lechicus non agnoſceret. Abdidiſti ſcilicet in ſolitudine illa amplitudinem Tuam; ut palam fieret jam tunc pretioſas fuiſſe virtutes Tuas: quæ latere debuerant. Debuit profecto ſervari hic Theſaurus, qui ex animi opibus à Cæleſtibus Divitiis crevit, Exigui ergo penetralis anguſtiîs, gloriæ Tuæ magnitudinẽ arctaſti. Ideſt: in puncto concluſiſti orbem, meritorum Iliadem in nucleo, gemmam Præſulum, in brevi ſphæra: & plurimarum virtutum numeros, inquandam Sanctimoniæ ſummam collegiſti. O! Maximam incompendio probitatem. O! ingentium ope-

rum amplitudinem. O! ætatum omnium admirationem & memoriam. Antiſtitem tot ſtipatum Regni curîs, tot tardatum honoribus, tot fatigatum laboribus, adeo ſupra omnem ſortis cujusvis procellam evectum eſſe, ut nullo tangi negotiô, nullâ impediri remorâ, nullo vinculô removeri poſſet; quin ad Sanctitatis metas alacri animô contenderet. Ita eſt, Antiſtes optime: omnem curarum æſtum extinxeras, omnes difficultatum alpes, Annibalis inſtar, Spiritûs fervore fregeras, omnes mundani ſtudii conatus contempſeras; Imo etiam Pontificiæ Dignitatis inſignia, totamq; Præſulei honoris pompam reliqueras; ut abjecto veluti; terrenarum rerum pondere, promptior mente ad ſuperos evolares. Quærebant interim, latentem intra profundæ virtutis receſſus, negotia: Deſerti faſces, murices, Tyaræ Præſulem Senatoremq; invitabant: Tu tamen ita omnibus ad tempus valedixeras, ut ne reſpiceres quidem illorum vota; quòd oculos etiam in Cælum ſublatos, ſupernarum ædium aſpectus tenuerit. Cedite interim (agebas] veteres curæ! faceſſite mundi molimina, fauſtiore poſtomodum curſu ad optatum contendetis portum, poſtquam Vobis non communis Helicæ monſtrabit viam; ſed ille cæleſtis fulgor, quem Spiritus Divini Lumina & igniti Patris flammæ, mihi ad Sancto-

ctorum consiliorum Claritatem, ad pleniora vestra commoda largientur. Stabant interim ante limina projectæ solicitudines, vigilabat ante fores orbatus honor: Purpuræ, Infulæ, scipiones rediturum ab altero pæne orbe Præsulem expectabant. Tu porro arcanô pietatis Sacrario interclusus, sub avita Rosa Tua virtutes conservabas: terris emortuus, soli vivebas Deo. Relictis fortunæ honorisq; fulgoribûs. Spiritus duntaxat ardores, Ignatii flammis excitabas: quas, in cordis Tui ara Vestalis integritas ad immortalem Sanctimoniæ lucem nutriebat. Excolebas spiritualibûs exercitiîs conscientiæ agrum: ut messem virtutis colligeres & Cælestibus Gratiis, campum in tuo pectore aperires. Nec diuturno labore fertile probitatis solum indigebat. Vix enim Sanctarum cogitationum jecisti semina, brevì optati fructus, votis Coronam imposuerant. Non norunt videlicet tarda incrementa Virtutes Tuæ. Meritorum Tuorũ celeritas moram non patitur: etiam spem omnium, temporumq; vices Rectefactis velocibus antevertis. Vix nempe Sanctus fieri satagebas; jam Sanctissimus dici merebaris. O! quibus tunc notis! quibus desideriis! quo amoris siderei! fervore Flagrabas Antistes Seraphice si scire id avidis laudum Tuarum Oratoribus liceret? haberemus unde vel ipsa Simplici virtutum Tuarum narratione inte-

gros Encomiorum codices impleremus. Utinam modo conſcium illud arcanæ probitatis Tuæ conclave ora aſſumeret! utinam taciti lares illi, voces promerent! utinam vel ipſi muti parietum lapides in vivos diſertosq; Memnones animari poſſent. Faterentur profecto, quot qualesq; ſanctitatis radii Tuum verticem Coronabant. Dicerent: quoties ſub gravi meritorum pondere in genua procumbebas ut viciniorem profundæ humilitati frontem ferres. Vexis poplitibus minor Te ipſo evadere volebas; ut ad ingreſſum in anguſtam Cæli portam aptior redderis. Quoties ſupplices ad ſidera tendebas manus! ut vel in tua vota Olimpum inclinares, vel ipſe expansîs brachiis ad ſuperos provolares. Quoties in ſupremi Numinis, Divorumq; laudes ſolvebas ora! dignus ut inter cæleſtes lingvas, Tuamquoq; devotam ſideribùs, referres. Quoties! innocentibus lacrymis genas reſperſeras id eſt gemmeos pupillæ rores ad Beatæ æternitatis effuderas Coronam. Loquerentur penates illi quomodo, ſancta crudelitate, in Tuum ſæviebas corpus, abſtinentia attenuabas artus, frangebas membra vigiliis, Vincebas te ipſum: De Te ipso reportabas lauream, eò Longiorem; quia difficilioris pugnæ triumpho rariorem. Quomodo Tibi Innocuo cordis dolore impulſa excidebant verba & vel ore

inſcio

inſcio plangentis animi indicia erumpebant. Mediis, quoq; ſingultibûs ſuppreſſæ voces, moriebantur inter labra, gemitu, interceptæ linguæ officium ſuppetente. Occupabat mentem continua æternorum cogitatio, reſpergebant genas lachrymæ, pectus ſuſpiria fatigabant. Quibus adeò inſolentes laxabas frenos; aut cum iis, in ardentiſſimas preces, in vota, in cultum Numinis animam pænè effundere videreris: illisq; potiùs quàm communis auræ beneficiô ſpirares. Quæ verò virtutis Tuæ prodigia in Templo, tricliniоq; Religioſo exhibebas? Hæc magis admiratione noſtra, quàm Elogiîs proſequi debemus. Tam arduùm enim eſt, ea laudare quæ omne ſuperant encomium; quàm periculoſum illa loqui, in quibus fidelior etiam calamus fidem excedere cenſetur. Veremur proinde dicere illa inſolitæ humilitatis miracula, quæ cùm viderent alii vix ſuis oculis credebant. Spectabat probitatis tantæ veſtigia Lojolæ cætus, quæ, non tam ſequi valebat; quàm profunda reverentiâ adorare, agnoſcebat in Te ſuæ modeſtiæ exempla, amabatq; Ignatii Cohors: Ex eo tamen poterat virtutibus Tuis indignari: quòd Religioſis etiam Viris intra aſcesîs Penates educatis, ruborem incuteres: cùm, ſublimes ſanctimoniæ Tuæ paſſus, haud facilê potuerint imitari. Cernebat ſolitarium Antiſtitem omnibûs expeditum curîs, ſolô

animæ negotio intentum Polonia: tantôq; gaudebat æquè ac gloriabatur Filiô, qui Idea Præſulum, Senatorum Norma, & totius Orbis exemplum fieri merebatur. Ipſe quoq; Ignatius (cujus Sacrîs exercitiis animum excolebas) Intuebatur ab Aſtris Devota mentis tuæ ſtudia; & illas in Te Antiſtite virtutes agnoſcebat, quas in ſuis filiis optabat. Videbat vivam ſuæ Sanctitatis Imaginem: Imo alterum in Te Ignatium ſpectabat. Itá ſcilicet, illius ſpiritum ad Tuas tranſtuliſti virtutes; ut inter Igniti Fundatoris flammas, & ſeraphicos ardores tuos, in Te, Phænix Lojola, reviviſcere videretur. Talia Sanctitatis tuæ ſpecimina nec loqui dignè poſſumus: nec tacere debemus; nè & ampliandæ Probitati, & orbi univerſo ſimus injurii: ſi ea dicere neglexerimus; in quibus haberent mortalium animi unde addiſcerent virtutem: & ad perfectioris vitæ ſemitam calcar aſſumerent. Hac nimirum ſolitudine Tua, plurimarum laudum trahis frequentiam. Hôc taciturnitaris lycæo vocales Oratorum plauſus, hôc privato Pietatis Exercitio publica Eloquentiæ præconia mereris. Si plura deeſſent quæ Tuam Dignitatem in longum tranſmitterent ævum; id unum Te ſecuturis temporibus commendaret. Et profectò rarô hôc tantæ Pietatis exemplô ibis in ſæculorum memoriam, in ætatum omnium venerationem, in famam

mam

mam Immortalem. Invidebunt nobis Sanctitatem tuam retrò acta tempora, adorabunt currentes anni, Orituri soles similem exoptabunt. Narrabunt senes juvenibus, nunciabunt Poloni Exteris, fastis inscribent Historici, laudibus attollent Oratores, loquentur plurimi: Te illis in Religiosis Penatibus æternitatis negotia tractasse, illis in ædibus sublimes virtutum passus posuisse, illo in Penetrali Episcopalem Dignitatem arctasse, ibi salutis momenta Animô librasse, ibi supplices ad Cælum levasse manus, flexisse genua, fudisse vota. Quin ipsâ vestigia non tam telluri, quàm memoriæ impressa, monstrabunt alii, alii nosse exambient, omnes colent. Omnis demum ætas, statusq; mortalium in Tuæ probitatis famam laborabit.

Magnam equidem, virtutis tantæ argumentis, gloriam promereris. Majorem tamen exinde consequeris: quod Divino Pietatis tuæ spiritu, non soli tibi vivis: verùm etiam aliorum corda ad vitam animas Sanctiorem: cum ardentis Zeli flammîs emortuam in multorum pectoribus excitas pietatem, & nobiliùs quàm Prometheus non mutuatîs radiîs sed propriis fervoribûs mentes mortalium incendis. Noveras nimirum exiguum esse virtutis pretium, quæ suarum duntaxat avara opum parca in alios, nulli, concessa sibi munera, largitur. Ignavam & ignobilem censes probita-

Zelus circa Animarum Salutem.

tem quæ ſuo duntaxat clauſa limite, ſuo ſuppreſſa in angulo, felicitatem propriam ad aliorum commoda non extendit. Sibi tantum utilis, aliis benefica eſſe neſcit: & nulli præterquam ſibi ſufficere poteſt. Tu proindè, minimè privati boni limitibûs, Sanctitatem tuam circumſcribis: nec noſti receptæ intra Præcodia virtuti metas ponere, quam plus ultra, ad plurimorum gratias diffundis. Sereni inſtar ſideris ita Sanctitatis Radiis eniteſcis, ut citra propriæ lucis diſpendia alios illuſtres. Ceu Gangem aureum gemmeumq; Hydaſpem capaciſſimo valorum omnium corde ferres; ita virtutum pretia complecteris; ut iis aliena quoq; littora locupletes.

Labores & Cura Paſtoralis Illuſtriſſimi Epiſcopi dum fuiſſet Præpoſitus Mævæ,

Prætermitto antiquiores circa aliorum Salutem conatus Tuos: quia præſentibus vix ſufficiunt calami laudatores. Taceo ferventiſſimos labores, quibûs hactenus incaleſcit Mæva, quæ Te ſuæ Præpoſitum Eccleſiæ colebat. O! felicem ſanè urbem illam quæ Te meliorem meruit conditorem: cujus nempè in mænibus Orthodoxam fundaſti Religionem, ædificaſti Pietatem, erexiſti virtutem, corruptos mores reparaſti. Non pulchriùs (arbitror) ad Amphionis Citharã Thæbæ ſurrexerant, quàm ad Romanæ fidei ſonum Te Authore, ſaxeâ quamvis obſtinatione mentes obriguæ, ad unionem Eccleſiæ

ad

ad virtutis integritatem, ad inſolita Zeli tui prodigia, ivere. O! fortunatum ſecurumve tanto Paſtore gregem, quem Cæleſtîs doctrinæ alimentò & verbi Divini nutriebas eſcâ: quem ab Hæretica lue, ab inſidiis, a periculis, ab omniq; vitiorum contagione tuebaris. Quis continuas vigilantiſſimi Paſtoris curas? Quis relatos ex profligata Hæreſi Triumphos? quis conſtantiſſimum in reprimendis ſceleribus, delendis erroribus, augendis virtutibus, promovendis ſalutis negotiis, Zelum Tuum non laudare ſolùm, verùm etiam ſtrictim recenſere ſufficiat? Vivunt adhuc, vivunt! in Incolarum mentibus, in Civium æſtimatione, in Præconiis, ſuſcepti pro animarum commodo labores Tui: quorum vel ipſa memoria amatur, coliturq; hactenus, Te abſente. Recurrunt Incolarum animis, nec tempore, nec operum magnitudine victæ Paſtorales curæ: Et quamvis longa locorum intervalla, Tuam præſentiam illorum aſpectui non concedant; tamen (quaſi omnium ante oculos verſareris] adhuc tuîs videntur frui obtutibûs: Tuis gaudent beneficiîs, Tua dicta geſtaq; profundâ veneratione proſequuntur. Te videlicet diebus noctibuſq; in animarum ſalute deſudantem, Te legis Divinæ dogmata explicantem, Dantem aures pænitentibus, facientem verba ad Populum, docentem rudes, juvantem ægros,

quædam illis viva laborum tuorum impressio, ceu fidelis effigies repræsentat. Ea quippe benè merentium est fortuna; ut integri abire nequeant: Ut pote; qui ubiq; suorum rectefactorum memoriam relinquunt. Vixq; absentes esse credantur, qui in remanente virtutum suarum luce, ceu soles occidui in relictis sideribus perennant. Adhuc itaq; omnium cordibus teneris; licet diversis Regionibus præsentiam donasti: proximus es amoribus, quamvis ab osculis remotus: terrîs divisus non affectibus; quia ex urbe non exanimis abiisti.

Zelus Præsulis Muneri conjunctus,

Tanta verò summi laboris vestigia etiam in altioris dignitatis culminibus ponere non cessas. Scilicet ad Pontificia evectus solia, Zelùm etiam tuum ad Dignitatem Præsuleam ptomovisti. Sociasti merita honoribus, ardoremq; illum, quo aliorum incendis corda ILLUSTRISSIMIS Titulis duxisti: neq; ita vittis verticem obligasti, ut continuas de animarum bono cogitationes frænasses: Qasi ideò in Dignitatum fastigio constitisses; ut ab honorum alto meliûs populorum saluti prospiceres. Idcirco cum Antistitis munere majores vigilantissimi Pastoris curas assumpsisti: Ita Scipiones Præsuleos ad manum admiseras; ut Te Ducem ad Cælestem Patriam mortalibus exhiberes. Nosti nimirum idem Apostolorum, & Præ-

sulum

ſulum munus eſſe: Quod, exindè tam perfectè imples; ut nullas officii Tui partes prætermittas. Probè autumas talem, debere eſſe Pontificium annulum, qui fortunatam æternitatem mortalibus oſtendat: talem gemmam, in qua carius Unione Antonii, Cæleſte Regnum propinetur: talem Crucem honorariam, ſub qua militantes virtuti homines, de Avernali hoſte, de mundo & ſceleribus, victorias reportant. Tales demum Antiſtitum Cathedras quas ipſimet Antiſtites, inſtitutô ad populum nobilitent ſermone: Proindè jam ipſe verbi Divini orator Cæleſtî eloquiô labra ſolvis, Sacrâq; facundiâ moves animos auditorum. Detonas in vitia Sacer Pericles, fulminas in depravatos mores Demoſthenes Infulate. Jam lucis Evangelicæ radiîs, cæcas errorum diſpellis noctes: Jam orthodoxæ veritatis myſteria evolvis; Jam Chriſti doctrinâ Plebeias mentes erudis: Jam ſalutaribûs conſiliîs corda regis. Omnes deniq; officii Tui conatus & induſtrias, imò totum Te Præſulem, animarum commodô impendis. Quodve ſummum eſt: etiam integerrimîs Tuîs moribus perſuades, quid quid Sacræ facundiæ inſinuas argumentis. Pulchrâ inſtitutionis arte, factîs doces & exemplô: Tuamq; vitam efformas in præceptum. Quod enim; propriis demonſtras geſtis, hoc tacitâ quadam ſuadâ innuis faciendum. Brevî encomiô complectar omnia: In Te veterum

Sanctitatem Antiſtitum, in Te Ambroſios, Chriſoſtomos, Auguſtinos, aliosq́; Infulatos Patres, non magis Tyarîs quàm virtutibûs ornatos, exprimis redivivos.

Labores in munere Epiſcopali: quos Illuſtriſſimus Antiſtes, Cracoviæ vacante ſede exercuit.

Permitte adhuc Antiſtes Benevolentiſſime, ut alios labores Præſuleos Oratione Panegyrica proſequamur. Indignari enim non potes illis laudibùs, quæ nullîs aſſentantis facundiæ velatæ nubibus, adeò veræ ſunt apertæq́; ut illis Tu ipſe debeas aſſentiri. Vel certè ſi aſſentiri recuſaveris? ipſa Templa, ipſa Altaria, (quæ Pontifici muneris Tui documentis calent hactenus) Veritati oratoriæ facient argumentum. Vos proindè Cracovienſes Baſilicæ, vos dicatæ Numini ædes, vos aræ, vos ſuperum Penates interrogo! Quantæ! quamve illuſtres Præſulis operæ enituerint vacante Vavelli ſede? fateri jam videntur Divorum Auguſtalia conatus Tuos, jam aſſiduas recenſent curas, non tam vocali præconiô Tua promulgando, geſta; quàm ipsâ tacitâ commemoratione noſtram excitando mentem; ut indefeſſum laborum Tuorum curſum animo recolamus, Succenſe igitur (ſi potes) Templis arisq́; quæ Tuorum meritorum loquuntur famam, dum noſtram admonent memoriam, ut Tua rectefacta Elogiîs attollamus, Noſtris verò ignoſce Laudibus: quæ Tuis meritis debentur: Imò eas tanquam fidas veritatis Imagines vul-

tu

tu placido & clementi oculo admitte. Audemus itaq; humili quantumvis svadâ meritorum Tuorum magnitudinem recensere: quibûs ita Principem Lechiæ urbem implevisti; ut nullum pæne Numinis augustale, nulla Divorum limina extiterint; quæ Tuorum meritorum exempla non spectassent. Nimirum, modò sublimis Vavellus, virtutum vestigiis, suum subjecit verticem: Nunc Petri lapides in obeliscos gloriæ venienti Antistiti surrexerunt: jā Marianæ ædes in circulo, jam Annæ Penates, dein alii, aliiq; Sacrati lares Tuam salutarûnt Præsentiam, Tuosq; labores adorarunt. Dies quoq; ferê nulla abiit, quæ clarissimîs Tuis operibûs non fulgeret. Lux una festis admotum aris infulatum Præsulem, altera sacros conferentem ordines, alia Divinis vacantem Ritibus, quælibet Antistitis fungentem officiô conspexit! Dies urgebat diem, aurora pellebat noctem, vesper claudebat lucem: Tu tamen nullas rumpendo moras,nec tempori,nec Tuo muneri parcebas. Nascebantur Phosphori, mergebantur Hesperi; Tu Præsuleis finem studiis non ponebas. Idem sæpe Infulatos labores Tuos infans Titan viderat, & senescens; ut liqueret, quòd non unius temporis, non paucorum momentorum, sed horarum pænè omnium Præsul esses. Non operum magnitudo, non diurnitas, non dierum in-

tervalla, indefessos conatus Tuos fatigarunt. Quasi scilicet à natura ipsa ad Dignitatem Præsuleam formatus esses. Ita nullo affici tædiô, nullâ lassari morâ, nullîs frangi laboribûs, nullamq; sentire difficultatem, in exercendo Tuo munere videbaris. Et ista quidem in alieni Antistitii Campo, ingentium operum vestigia ponebas. Quibus igitur sudoribûs Tuæ Diecæsis messem irrigabas? metiri quisq; potest ex iis, quibus aliorum theatra impleveras rectefactis.

Solicitudines & Curæ Pastorales Illustrissimi circa gregem suum Cameneci Tempore Pestis.

Quantis præterea pro grege Tuo studiis, quā sollicitis votis curisq; angeris? loquuntur vel ipsa illa contagia, quæ ad publicam perniciem in Diecæsis Tuæ visceribus grassabantur. Non auderemus renovare Dolores illos, Tuosq; in clade populi mærores suscitare; nisi id quoq; ad Pastoris optimi laudes pretineret, quòd gregis Tui vulnus, Tuo etiam corde senseris, nec minùs Tu animo sustinueris fatorum ictum; quàm alii Corporibus pertulêre. Tibi scilicet ipsa infortunia cedunt ad gloriam, Ipsæq; mortes in Tua Encomia sunt vocales. Tertius abhinc annus volvitur, cùm urbē Camenecensem vicinasq; oras aura pestilens afflavit. O! Annum ferrei Sæculi vulcaniâ laboratū! Annum nigro notandum calculô, nefastis inscribendum! Annum! cujus funestæ dies fatalibus confusæ noctibus videbantur. Cujus

jus ſoles, plùs mortalis umbræ ſparſerant, quàm nitoris. Stabat plena caſibùs; an potiùs propriis inſepulta ruinis jacebat arx fortiſſima. Vel, ſi quo adhuc ſurgebat faſtigiô; non tam ſua rupe; quàm funeribùs, & cadaverum cumulìs attolli videbatur. Illud Chriſtiani Orbis Præſidium, Lechiæ propugnaculum, naturæ prodigium, urbs illa, non hominum arte, ſed ſuperum beneficiô poſita: Quæ toties hoſtiles retudit impetus, quæ è ſublimi caute othomanicas deſpexit acies, quæ intenta ab oriente, riſit pericula, & calcavit: nunc demum mirata eſt, ſe tam ſubito victam & everſam. Si quando etiam ſuis in mænibus Odryſias conſpexit lunas, adhuc tamen tantas fatorum tenebras non pertulerat! adhuc de grandi ſupercilio non remiſit: adhuc ſpem non abjecerat, quâ ad melioris fortunæ expectationem: poterat animari. Nunc ſpe etiam cum vita, Libitinæ ferrò præciſa, doluit ſe maximè infelicem, cùm infelicitatem ſuã minimè ſperaſſet. Quæ itaq; Turcicæ vultum Cinthiæ excepit impavida, ad Proſerpinæ faciem, ceu ad Meduſæ frontem, in fatale obriguit ſimulacrum: tunc maximè ſuperata; cùm nullô hoſtili ferro, nullìs armîs, nullis adverſi Martis præliis pulſaretur. Hoſtem ſenſit intra mænia, quẽ non vidit, ſpectavit ſuas ſtrages attonita, quarum Authores nec repellere poterat, nec

 ferire:

ſerire: eò ſtrictiùs acerbiuſq; victa, quò d manu incognita periret, nec cladis vindicias ſumere valeret. Serpebat igitur pernitioſa lues, totamq; Urbem Lethæa tempeſtas inundabat: Forum integrum feralis ſpectaculi theatrum credebatur. Omnia plena funeribûs, plena luctibûs, apparebant. Vidiſſes diffuſa per omnes domos exitia, proſtratos in plateis ægros, ſparſa per vias cadavera, obvias ubiq; mortes. Vidiſſes! notatos fatali pallore vultus, liventes genas, exuſta ſiti labra, fluentia tabe Corpora, trementes artus, exeſa virulento igne membra. Cerneres luctantes cum fato homines, ſi homines dicendi? & non magis hominum umbræ, vivæ mortes, ferales larvæ, oſſea monſtra, media in vita funera, propriiq; obitus ſimulacra. In omnium vultibus ſolæ fatorum effigies, ſola morborum indicia, ſolæ pernicies videbantur. Quiſq; in alterius facie, ſuæ cladis legebat augurium, ſuum videbat funus, ſuum periculum agnoſcebat. Qui fratri occurrerat, in mortem ſe incidere autumabat. Fidem Superum! quæ tunc malorum inſolentia! quæ inclementis auræ ſævities! quæ graſſantiquæ inclementis auræ ſævities! quæ graſſantium morborum contagia, ultimîs pænè ſtragibûs afflictam Urbem involverunt? ubi nihil præter feralem ſcenam, nihil præter lugubres tragædias, præter clades & funera ſpectabatur. Illi videlicet repentina corre-

pti

pti tabe, priùs appetebant mortem, quàm ſe mori cognoſcerent. Illi graviſſimîs morbi cruciatibûs preſſi, ipſam quâ vivebant, dedignabantur auram, utpote in hominum exitia juratam: ipſam oderant vitam, quam omnibus pejorem fatis autumabant. Optabant ſua funera, amabant ſua pericula, ſuas ardentibus deſideriîs mortes expectabant. Feliciùs namq; videbatur eodem cū aliis perire telô, quàm aut ſuum diutiûs ſentire vulnus; aut aliorum calamitates plorantibûs oculîs obſervare. Alii ut ultimas ſaltem vitæ reliquias ex tanto efferrent incendio; inviſos lares, & ingrata limina deſerebant. Sed evitare malum non poterant; niſi ſe ipſos quoq; relinquerent: qui ſuo in ſinu ſuaq; intra viſcera luem peſtiferam portabant. Trahebant tamen languidos greſſus, & langvidiorem vitam extra mœnia: jamq; ad Sylvas, ad campos, ad flumina, inchoata funera deferebant: ne tot Incolarum ſuorum fata urbs mæſtiſſima ſpectaret. Quæ ut integra riget cautibûs, ſic integra in ſepulchrales aſſurgere lapides, aut in dolentis ſimulacrum Niobês mutari videbatur.

Quô ergo animô, quô oris habitu, quô mærore publicam Gregis tui cladem accepiſti Præſul ILLUSTRISSIME! nullum arbitror calamitatis illius fuiſſe telum, quod tuum cor propitium non feriret. Sentiebas

animô commune ſatum. Diviſus in plures dolor, ſe ſe collegerat in tuum pectus: eò gravior,majorve; quòd omnis unum Antiſtitem oppugnaret. Nec ſolùm condolebas afflictæ populi ſorti; verùm etiam tam ingentium caſuum ſubſidio dextram porrigere ſatagebas: niſi illi forent malorum exceſſus, qui omnes humani áuxilii vires ſuperarent. Sola ſiderum clementia opem ferre poterat lapſis rebus. Hanc igitur modîs omnibûs, à ſuperis implorabas. Jamq; ipſe pro incolumitate Urbis, votîs ſupplicibùs placabas numen, jam publicîs precibûs Cælum fatigari mandaveras: ut ſociata plurium virtus aboleret, quod unita multorum infortunia pepe-rêre.

Tantumne verò publicis illis calamitatibus auxilium ferebas? etiam quibuſvis infelicitatibus, tam celebribûs gratiis ſubvenire ſoles; ut promptiorem Te ad dandam opem, quam ipſa fata ad ærumnas mortalium cenſeamus. Si quando, Phàétonti non abſimiles caſus, fortunatæ lucis curſum ruinis involvebant? Tu Inſulatus Titan, meliore ſerenô reparas infauſtas dies. Si felicitatis onerariam, infortunii procella pulſavit, aut ſævi vexarunt aquilones? Tu faventis more ſideris naufragam puppim ad fortunatas Inſulas deducis. Quis tuam erga miſeros clementiem, quis Pupillorum tutelam; quis in Paupe-

Municfiẽtia in Egenos, ac in Templa.

res

res munificentiam non agnovit? Perstant hactenus tot libertatis Tuæ documenta; quot erectæ egenorum receptaculo commodoq; ædes: quibûs, dum felicem ex tuo beneficio Paupertatem Concluseras; limina aperueras Pietati. Quot ditandæ egestati nummos profuderas; tot, æternum, non tam sui metalli constantiâ, quàm Tuæ virtutis immortalitate, pretiosi testes munificentiæ perennant. Plurima hic quidem gratiarum tuarum argumēta oratoriæ pennæ se insinuant: ea tacere malumus quàm loqui; ne liberaliore sermone cum amplissimis tuis beneficiis certare videamur. Tamen dū tuæ liberalitatis exaramus encomia, nolumus peculiares illas præterire gratias, quibùs munificam manum usq ad cælites extendis. Alii nempe in homines tantum: Tu etiam in superos liberalis: quorum honori aut novos Penates posueras, aut vetustate collabentes, primævo reddideras decori. Extendisti videlicet Divorum felicitatem, eorum ædes ampliasti: ut qui Olympi Regna occupárunt, etiam suam in terris sortem possiderent.

Quot jam pulcherrimos virtutum Tuarum flores legimus? quàm latus tamen adhuc porrigitur campus, in quo velut in Hymetto aut Hybla, vernantissima animi Tui decora revirescunt, Tuamq; avitam Rosam innumero pæne ambiunt comitatu. Tacemus itaq;

plurima Probitatis Tuæ ornamenta: multasq́; meritorum imagines ſolô ſilentiô veneramur; ut intelligas parciſſimus pretioſorum operum Tuorum æſtimator, Antiſtes modeſtiſſime: quòd plura Tu ponere gloriæ veſtigia valeas; quàm Oratores præconiis celebrare. Vincimur ſcilicet longô Illuſtrium geſtorum Exercitu: aſt tam tibi glorioſus hic triumphus venit, quam noſtræ Eloquentiæ gratus ac decorus: quòd cum Tuam Iuſulatam frontem paribûs encomiorum ſertis coronare nequeat; ſaltim Tuæ ſuccumbens Sanctitati, ad victrices cadat plantas: & laudum tenuitatem, adoratione profundiſſima compenſet. Talium nempe hoſtium morem induunt, dum Tuam encomiîs oppugnant modeſtiam, laudatores: ut a Te ſuperari cupiant Tuasq́; ament victorias, quod ipſi etiam (facundiâ cum Tuis certando meritis) quandam triumphi gloriam obtineant, ſi virtutum Tuarum magnitudine obruantur: Hoc ipſo enim votorum ſuorum lauream aſſequuntur, ideſt maximam laudem tuam, imo novum laudandi genus exhibent; dum optata affecti clade oſtendunt palam: tam probum ſanctum eſſe Præſulem, ut omnibus major præconiis evadat.

Tamtumne verò pleno ſublimium virtutum agmine panegyres vincit? etiam aliis animi Tui dotibus, etiam Scientiis & excelſa

eruditio-

eruditione excitata in Tuam laudem, ſuperas ingenia Oratorum. An enim exiguo latice, docti capitis Tui decora ferentur? Plenô eruditi ſudores Tui æquore exundant: Nec tot Nilus oſtiîs fluentes partitur gratias; quot alveîs, ſapientiæ Tuæ munera, mens doctiſſima profundit. Paucô duntaxat pluentis auræ imbre naſcentem è Jovis cerebro Minervam, cælorum indulgentia reſperſit: Tuum Antiſtes Sapientiſſime verticem, Integra literarum pretia ditarunt. Si Philoſophica Theologicaſq; ſcientias calamo committimus; eas tam excelſas in Te conſpicimus, ut altos illarum paſſus ſolæ doctiſſimarum mentium ſublimitates aſſequantur; Attigiſti nimirum Ariſtotelici Euripi ac Theologici maris altum; poſtquam ad Illud Romanus Tiberis Te devexit. Geminîs Parnaſſi jugîs ſuas alii muſas collocent: Tuarum Scientiarum Majeſtas tam parvo ſpatiô capi non poterat; ſepteno latii colle debuit ampliari: Aliis ex Jovis vertice naſcatur Pallas; Tibi, Altioris literaturæ facultates, ex ipſo Orbis capite prodiere. Decuit quippe, ut deſtinatũ Pontificiis vittis caput, mentemq; ad Patriæ commoda, ad Reipublicæ negotia, ad ſenatus lechici conſilia natam, non obvium quodvis Athenæũ, aſt ipſa muſarum ſedes, ſapientiæ nidus, ſcientiarum frons prima, ingeniorum colonia, Roma erudiret. Decuit: ut exoptatam Infulis frontem illæ

Scientiæ Illuſtriſſimi Præſulis.

Romæ ſtudiis Theologicis Operam dedit.

Eloquentia Illustrissimi Præsulis.

ruditæ lauri coronarent, quæ inter victrices Capitolii palmas adoleverant. Si Tuam quoq; Eloquentiam, et uberrimas facundiæ gratias vocamus ad Panegires? omnem artis Rhetoricæ fontem, ore Tuo profluere autumamus. Tuis aperti ſermonibus patent Oratorum campi, ex quibus & florem & amænitatem dicendi transfers ad ſuadæ dotes nobiliſſimas. Quis verborum ſplendor? quæ ſenſuum elegantia & claritas? quæ orationis decora in Tuis eniteſcunt eloquiis? quoties diſertum agis Oratorem? velut ipsîs gemmîs auroq;, Oratoria tibi flumina manarent, Ita pretioſa facundiæ munera ab ore fundis. Adeo quoq; dulcem ad guſtum omnium proponis dictiones, quaſi Deorum nectare lingvam imbueres, aut melleam ab Avita roſa, ceu apis attica legeres ſuauitatem. Neq; ſolum blandis eloquentiæ lenociniis delectas aures, verùm & gravi rationum pondere, ita Audientium premis mentes, ut Tuo ſenſui efficias ſubiectas. Oſtendis palam Regiam eſſe Eloquentiam Tuam, quæ explicata orationis majeſtate ampliſſima, imperat animis obſequentibus. Quoties ſive in purpurato Polonorum procerum conceſſu, ſive in Sacris Exedris verba promis, toties à diſerto ore Tuo, non aures ſolum, verùm & corda pendent auditorum; Quibûſvis enim ſuadæ Tuæ argumentis, oracula cenſeris loqui, digna, ut diuturna ſeneſcen

neſcen

neſcentium ſæculorum memoriâ teneantur, æternis exarentur cedris, faſtis immortalibus notentur· Cedat jam facundiſſimus ille Cyneas, qui plura eloquentiâ ſuâ præſtiterat, quam Reges armis. Cedat Gallicanus Hercules, qui pretioſo ſermone, ceu torque quodam aureo, in ſuam ſententiam aliorum ſtudia trahebat. Tuâ Præſul diſertiſſime ſuadâ adeo devinctos omnium tenes animos, ut in Tuorum votorum ire partes, Tua ſequi conſilia, haud ambigant; Ita namq; potenti eloquio expugnas mentes: ut ſimul demulceas blandâ facundiæ lenitate. Id eſt gravitatî decorem, ponderi pretium, gratiam addis majeſtati. Ardori quo aliorum pectora incendis, ſocias Orationis fulmen, Periclis tonitrua gemmeis periodis adjungis. Audivit Tuam eloquentiam Roma (dum legatus lechiæ, Reipublicæ negotia ſupremo ſacrorum Regi Clementi XI commendares] & in Polonia Oratorem ſuum Tullium autumabat. Imô novum oratorum Numen, nobilius Mercurio in Te legato agnoſcebat. Et profecto poteras Numinis eloquentiæ titulo gloriari: ſi Tibi purpureum Galerum; Latium obtuliſſet: quanquam & hunc ſperare iam potes faciliùs, poſtquam Sacrum in ſcipione Præſuleo, caducæum accepiſti. Eò igitur magis æſtimabat auream Eloquentiam Tuam Patria, quòd illam ad vaticanæ petræ lapidem probaſſes.

Legatus Romam ex Polonia.

basses: Eò amabat colebatq; sinceriùs, quòd suadæ Tuæ beneficiô felicitatem famamq; Reipublicæ sustineres, Facilè quippe coniicere poterat, quàm altas facundiæ dotes consecutus fueris, qui inter Romanos Tullios non minùs sapienter, ac utiliter, pro Domo Tua, pro Lechiæ commodo, celeberrimum agebas Oratorem. Hinc non semel publicum dicendi munus & onus Tuis humeris Polonia imposuit: Si onus appellari non dedignaris, qui pro integritate & gloria Patriæ, haud quod quod grave esse, seu loqui, seu agere, arbitraris. Quid non ad vocale facundiæ Tuæ præconium, inter Gradivi classica personabat? cum ad militiæ Præsides Legatus totius sacræ Reipublicæ nomine verba faceres? Stetisti videlicet inter Bellorum fulmina, tonans Pericles, inter triumphales Laureas Orator floridissimus: Ubi non tam voces & periodos, quàm gemmas inter Martis tonitrua fundere videbaris. Potuimus sanè, potuimus fortem illam vim dictionis, Illam animorum Triumphatricem, moderatricem cordium, suavem sinè sangvine victoriam, Eloquentiam Tuam, Heroum fortitudini præferre; postquam suadæ potentis industriâ de ipsis Triũphatoribus quodammodo triumphabas, & de militari cãpo Oratoriæ palmã gloriæ legebas. Potuimus Tuæ incisa eloquẽtiæ Bellatorum cicatricibus, mucronibus acumen ingenii,

Legatus ad Duces Exercituum.

genii, Martis ignibus, sermonis claritatem, anteponere. Eâ namq; oris gratiâ ac virtute perorabas; ut Tuis votis, Tuæq; facundiæ etiam heroum animi militarent, Ducesq; ipsi Tua studia sequerentur. Non minùs autem inter militares Aquilas sublimem; quàm in Sacris Exedris præcellsam Eloquentiam Tuā, Orbis Lechicus conspexit. Ut enim, alia facundiæ hujus taceā argumenta, unus pro cunctis magnum repingit Elogium, parentalis ille Sermo in Joannis III. Augusti II. Regum Poloniæ funere, à Vavelli rostris recitatus, quô illatas ferali folio, majestates lugebas. & ceu Hesperus solem occiduum, sic extinctas Sarmatiæ Seranitates, verbis, corde, dolore & funebri elogio sequebaris. Ostendisti videlicet inevitabilem ulli mortalium, fatorum ictum: demonstrasti mortis legem, etiam ipsis Regnorum moderatoribus altiorem. Probasti sublimes Regum Thronos, mutari in feretra, coronas ferali telo in metam dari, Libitinæ Imperio, sceptra subiici: & murices pallescere. Serenasti tamen publicos Læchiæ mærores, tum Illustri oratione, quâ ereptos fatali occasu Regni Sarmatici Soles celebrabas, tum ostensa haud impari Polonæ felicitatis luce, in novo Successore solii exortâ. Quin ipsas etiam extinctas serenitatū ferales umbras, quodam laudationis nitore irradiasti: cùm, clarissimas esse Immortalibus Defuncto

Orator Sacer in funere Joannis III. & Augusti II. Regū Poloniæ.

ctorum Regum operibùs Purpuratas Iaheſes probares. Ipſam majeſtatum ruinam ſublimî Encomiô erexiſti; quas ita laudibûs attollebas, ut oſtenderes Regnorum Dominos etiam cadendo, cæteris mortalibus altiores eſſe, Regumq; cineres remanente in illis anteacti honoris reverentiâ, Adorandos eſſe.

Illâ verò facundiâ, illoq; præconio coronatas mortes celebras; ut Dignitatem dictionis, Regum Soliis, & orationis ornatum Purpuris haud abſimilem explicares: atq; laudando Poloniæ majeſtates, ipſe exinde millenas Eloquentiæ Tuæ conſequereris laudes, Etenim, cùm alii Regna ſolum ex ore mereri poſſint, Tu etiam Ipſos Reges facundô eloquiô merebaris: Quorum Encomia digno Trabeis ſermone decantaſti. A ſolo Apelle pingi, à Praxitele ſculpi, voluit magnus Macedo, à Te verò Coronata Sarmatiæ Numina laudari debuerunt.

Ut autem Regum Oratorem agere incepiſti, ita hactenùs continuas, affinem Soliis Eloquentiam Tuam. Sereniſſimæ Poloniæ Reginæ Cancellarium, fecere Te merita & Virtutes, ac ſignatoriam officii gemmam Præſuleo Tuo annulo intulêre, ut illo, nobilior Ephæſtiò, Antiſtes diſertiſſimè, labra ſolveres ad dicendum. Magnum hoc, Tuumq; Elogium eſt Præſul ILLUSTRISSIME pro majeſtate, verba facere, majeſtatis oracula

Cancellarius Sereniſſimæ Reginæ Poloniæ.

dice-

dicere, majeſtatem Ore & mente ferre. Loqueris enim pro Sereniſſima Reginæ dignitate, & illa loquitur tua lingvâ. Unius Sermo eſt, vox alterius. Unus perorat, & duorũ reſponſa audiuntur. Utriuſq; eadẽ eſt Sententia, idem votum. Adeo nempe ad mentem coronati capitis, oris officia componis; ut unum cum majeſtatis mente, Oratoris Ingenium vel ſaltim ſimillimum oſtendas. Enimverò quid Reginæ ſolio viciniùs? quâm Regnatrix Eloquentia Tua, quæ mite in audientium animis tenet imperium. Polono Diademati, quid affinius? quam Sarmatici Chriſoſtomi ſermo aureus.

Adhucne plura Eloquentiæ Tuæ aliarumq; Scientiarum argumenta proferemus? Adhuc ampliſſimas virtutum meritorumq; gazas panegyrica laudatione recludemus? Fruſtra profundas Oceani undas in exiguum laticem transfundimus: Fruſtra innumera Olimpi Sidera vocamus ad calculum. Fruſtra parvo orationis limite, ingentia Tua rectefacta circumſcribimus, quæ immortalis gloriæ metas, conſequuntur. Non capitur brevibûs Elogiorum periodis, qui meritis orbem implet. Excedit Orationis margines, cujus fama, in latiſſima terrarum ſpatia promanat. Tacemus itaq; plura Tuorum facinorum documenta: ipſoq; fatemur ſilentio, noſtram Tua amplitudine ſuperatam eſſe eloquenti-

 am

ám. Habet utiq; habet quisq; citra laudum Tuarum præconia, unde magnitudinem meritorum Tuorum metiatur. Habet inquam numerosa honorum insignia, quæ Tuis gestis clarissimis in Præmium cessêre. An enim exiguum hoc, absq; Oratorum operâ amplitudinis Tuæ argumentū porrigitur? Eam virtutis Tuæ existimationem, Patriæ, Regnoq; toti, eam probitatis ac scientiæ famam, omnibus inesse! ut frequentissimas Dignitates tuis meritis, & deberi censeant, & easdem veloci successione conferri faciant vel exoptent. O! quot titulorum fasces etiam invitis tuis manibus obtrusit honor? quot dignitatum fastigia altis virtutum passibus subjecit? Recensere etiam arduum nobis est, nedum longiore facundiâ complecti: Eò vel maximè: quòd ignoremus profectò quos priùs honores, in tanta illorum frequentia laudibus prosequamur: quôd vendicat unus pennam honoris, mox aliæ vocent dignitates. Scilicet vix tibi inter Vislicenses Canonicos adlecto Encomia adornamus? jam legationes tum Romam ad Vaticani Solii Regnatorem, tum ad Polonæ militiæ Duces faustissimè peractæ, mentem abripiunt. Vix Romæ, Nationis Polonæ Præsidē necnon confraternitatis Corporis Divini moderatorem adoramus? jam adscriptum sacro Vavelli Senatui, honor exhibet ad applausum. Nos Deputati

ad Tribunal Judicis æquitátem pretiosasq; virtutes ad libram Themidis expendmus? Tu interim supremus Poloni Areopagi arbiter, novam gratulationis materiam porrigis Oratoribus. Ad CELSISSIMI Primatis STANISLAI SZEMBEK, Crucigerum, Laudationis cursum flectimus? Decani Varsaviensîs merita veniunt ad Panegyres. Suffraganeo Inovladislaviensi reverentiam plausumq; damus? brevì SERENISSIMÆ Reginæ Cancellarius laudibûs attolli debes. Talem verò vix cogitare ne dum laudare incepimus? Tu illico Senator, curules; Tu Camenecensem Præsul Cathedram ascendis? Hìc denuo vix tuam præsentiam, vota omnium & solatia, vix gratulatorii applausus excepêre? mox emeritam frontem Luceorienses Infulæ invitarunt. Ita, ad quamcunq; honoris Tui pártem, laudes vertimus? statim aliæ dignitates mentibus obversantur: nec sinunt quietum esse in Tuis Elogiis Laudatorem. Nimirum veloci honorum cursu fatigas Oratorum ingenia: Vincis Eloquentiæ vires: & Titulorum celebritate provolantes in Tua Encomia calamos antevertis,

Hæc à Tuis meritis & Honoribus ornamenta Flos Gentilitius derivat. Quæ verò decora à præcelsa ROSINORUM stirpe legit? Quis enim tanti Generis magnitudinem ignorat? quis amplissimas Dignita- Prosapia Illustrissimi Antistitis

 tes

tes & ingentia Proſapiæ hujus merita non novit! Quæ victrix temporum, quia Anno 987. inchoata, ſæcula implevit rectefactîs, & ubiq; immortalem gloriam conſecuta. Quæ, nec annîs nec ſenio fracta, vegeta ſemper, ſemper, pares ad maxima lacertos tulit. Ivit per lacteas virtutum ſemitas, per ſublimes honornm Appias, per ardua Martis itinera: per omnes ferè Dignitatum proceſſit gradus, tam felici paſſu, ut quodvis veſtigium in avitæ Roſæ decora & titulorum faſces eſſloreſceret. Cùmq; ſolis more, plures illuſtres vias, plura honorum ſigna percurriſſet, nullum lucis propriæ paſſa diſpendium, hactenus primævum retinuit ſplendorem. Dedit Infulis Antiſtites, Senatores Curulibus, Duces bellis. Protulit clariſſimos Togâ ſagôq; viros: omnes ad ſumma natos auguſtîs cunabulîs profudit. Quin etiam Olympo ipſi Avitum florem obtulit in Diviniſſimo Adalberto Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, in Męcinio Martyre Japoniæ, in pluribus aliis, ſuperno Cælitum Senatui, intulit. Ut palam faceret ingentia ſua merita, uno non capi orbe, & perennem virtutum ſuarum famam ipsîs tantum ſideribûs terminari. Utq; probaret luculenter: Gentilitiam Roſam non ſolum in terreſtribus Pæſtis, verùm & cæleſtibus Eliſiis regnare.

Cerne Tua in Flore decora Antiſtes

ILLU-

ILLUSTRISSIME, Tua ſunt Tuæq; aſſiſtunt Dignitati: Huic namq; Roſinorum Flori veſtra KOBIELSCII Nomina; ILLUSTRISSIMÆ Domus Lucina inſcripſerat. Concede igitur Nobilioribus pupillam faſtis, & in niveis Roſæ Tuæ foliis, aurô cedroq; notanda Anteceſſorum Tuorum lege vocabula. Immortalem in illis Proſapiæ Tuæ gloriam conſpecturus. Quantos hic! virtute conſpicuos, graves meritîs, illuſtres famâ omniq; majores Encomiò, Domûs Tuæ Proceres videbis? ſpectabis ANDREAM NICOLAUM KOBIELSKI Pultovienſis Capituli magnum ſidus DANIELEM KOBIELSKI Judicem Buſcenſem, nec non S. R. M. Secretarium non æquitate ſolum, verùm multis aliis inclytis facinoribus præclarũ FLORIANUM tã ſuo nomine quam victricium laurearum gloriâ vernantiſſimum. Intueberis SAMUELEM Tribunum ſiradienſem Heroem fortiſſimum, Terrorem Hoſtiũ, Patriæ robur, Achillẽ Sarmaticum Qui ſceptrum tenente Vladislao, ſeptemtrionales cohortes edomuit: Qui Cracoviæ defenſor, adverſi Martis impetus retudit: Qui tam victorem Enſem, quam Juſtitiæ gladium, ſub interregni tempus, Mareſchalcus Judiciorum, tulit dexterrimè. Qui demum non præliô ſed ſeniô victus, victricium armorum Anathema, ad a-

ram Thaumaturgæ Virginis Częſtochoviæ appendit. Id eſt Heroicæ fortitudinis inſignia retulit ad Caſtrorum aciem ordinatam. Bellicæ gloriæ ſpectacula, digna omniũ oculis exhiberi, in claro monte conſpicienda propoſuit, vel certè inſignem militaribus vigiliis audaciâ mucronem, in Reginæ Cælorum excubiis collocavit. Victoriarum ſuarum Reliquias dicavit Digniſſimæ Triumphatrici Erebi; propriaq; arma Honori Mariano erexerat in Trophæum. Videbis demum in Gentilitio Poray complures alios, majores Tuos, qui famâ, meritîs, Dignitatibûs, ſummâq; laude floruerunt, Quorum excelſa Nomina, doteſq; magnæ, pares Proſapiæ, licet, Oratoria non exaramus pennâ: Illos tamen, ſatis in eorum Poſteris leges, cognoſceſq;, maximè verò in Te ipſo. An enim exigua in NICOLAO KOBIELSKI, Genitore Tuo Viro à Nomine & factis aureo, Majorum decora eluceſcunt? Hic non uno gloriæ campo ampliſſima diffudit merita; quia & militarem, & publica comitiorum Theatra & Poloni Areopagi ſubſellia virtutibûs implevit. Sub victricibus Nominis POTOCCIANI ſignis, Heros ſtrenuiſſimus, unà triumphorum laureas, ac ſuæ gloriæ legebat meſſem. Ut autem Gradivi campum emeritis conſignavit veſtigiis, ſic legatus ad Comitia, illam, qua

gradie

batur ſui honoris & publicæ felicitatis Appiam, altîs paſſibûs decoravit. Ita namq; fauſtè ac ſecurè communis boni momenta portabat; ut tritam ad fortunatum terminum viam Reipublicæ negotiis monſtraret. Dein Deputatus ad Tribunal Regni Judex, ea æquitate, Themidis tulit lancem, ut ad illam cauſas, & nullum unquã pondus aureum admiſiſſet. Inſiſtit Patris veſtigiis ſimili meritorum paſſu Filius SAMUEL KOBIELSKI Frater tuus. Qui Duce Koniecpolio, contra Martem Othomanicum, victrices ſecutus Aquilas: heroicis ſacinoribûs & hoſtem & laudem ſuperavit. Qui pridem vocalibûs Triumphorum Claſſicis decantatus, Immortale Nomen promeruit. Cujus invictam fortitudinem & audaciam Caliſſienſes teſtantur campi & mirantur, quos, victoriarum incrementa hoſtili ſangvine reſperſit.

Jam quibus Ptoſapiam illuſtrant nitoribûs, HEDVIGIS CHRISTINA ac ELISABETHA ſorores Tuæ: Quarum prima, TURSCIORUM, altera STARCZEWSCIORUM tertia DRZEWIECCIORUM Nomini, connubiali fædere ſociata. Illæ quâ morum integritate, quà virtutum candore, quà nobiliſſimarum dotum præſtantia: Gentilitio flori ſimillimã indolem repræſentant. Nec pulchriûs Dea Flora, Hortorum delicias, quam

illæ Roſam Patritiam ſuîs comunt virtutibus & conſervant, Charites dici poſſunt quia liberalibus naturæ donîs gratiarum præſtantiam æquarunt. Accedit ad ternum Charitum numerum ANNA de KOBIELSCIIS BYSTRZANOWSKA quæ ut nomine gratiam complectitur, ita eandem elegantibûs animi Dotibus repingit.

Augent Domus ILLUSTRISSIMÆ fulgorem, etiam alia Sarmatici Cæli aſtra ſuorum conjuctione luminum KOBIELSCIORUM nomina affinia. Irradiat ROSINORUM ſtirpem TERESSA de TARNOWSCIIS KOBIELSKA Tua Antiſtes ILLUSTRISSIMÆ Genitrix: illâq; luce, quam tibi ad vitam infuderat, in te ipſo Præſule, tot virtutibûs prædito, tot meritis inſigni, tot honoribus ornato ſatis late clareq; jubar Proſapiæ extendit. Hæc adeò multa virtutis, pietatis, munificentiæ, in pauperes, cæterarumq; dotum ornamenta, in ſuum pectus collegerat: ut Pandora Lechiæ plurium Dearum ornata decoribus potuerit appellari. TARNOWSCIORUM haſtas; Roſeæ KOBIELSCIORUM Proſapiæ adjunxit, ut pro ſpinis, victricibus munita ſaryſſis Tutior contra hoſtes Patriæ decertaret.

Coronant adhuc KOBIELSCIANÆ Do-

Domûs Dignitatem prima Poloniæ sidera SZEMBECCI, DZIAŁINSCII, PONINSCII, BIDZINSCII, ZERZYNSCII, BYSTRZONOWSCII, LASKOWSCII, RYCHŁOWSCII, SPINCII, MALCZEWSCII, TURSCII, STARCZEWSCII, DRZEWIECCII, WONSOWSCII, BIECZYNSCII, ZIELINSCII, LUCZYCCII, & complura alia magna Nomina imò Numina Sarmatiæ. Quæ in unam Poraitorum domum, ceu in quoddam Deorum Pantheon confluxêre.

Metire jam Præsul Illustrissime quànta à tot Tuis Tuæq; Prosapiæ excellentiis, à tot inquam altis avitæ Rosæ coloribus, aris Pontificiis accedit dignitas & honor. Collige tot tamq; ingentium decorũ Synopsim. Cogita amplissimas virtutes tuas: considera Pietatem, merita, Rectefacta, quibus Patriam, Ecclesiam, Tuumq; Genus inclytum, illustrasti. Adverte honorum frequentiam, qui Tua Gesta clarissima coronarunt, Enumera omni laude & perenni memoria dignos Illustrissimæ Domus Proceres: specta demum Rosæ Tuæ conjunctos sangvine, Principes, Polonæ Nobilitatis Flores: Totamq; gloriæ Tuæ Iliadem intuere. Atq; ipse laudes Tuas approba & conclude. Num tanta tamq; ingentia Floris Gentilitii ornamenta, magnum Aris Præsuleis decus non adiciunt? Si auri argentiq; divitiæ, gemma-

rum pretia, ſi pulcherrimæ Imaginum Gratiæ ſi collecta Honorum decora non exiguum Altaribus adferunt ornamentum? magis Gentilitius Flos Tuus tot Virtutibus, meritiſq; clarus tot honoribus excelſus, tot Patriæ ſtirpis Dignitatibus ornatus, majorum gloriâ ac immortali fama illuſtrs Pontificias Aras condecorat. Magis quippe Divorum Penates & Altaria Sanctitas cohonestat quam opes. Majus à rectefactis promanat pretium, quàm a unionibus aut auro, pulchriûs ornat purpurati ſangvinis Dignitas, quàm apelleæ venuſtates.

Procede igitur, Tua Dignitate & gloria, noſtro voto, & ſolatio, omnium felicitate & commodô, ad Tui Antiſtitii faſtigium Præſui Emeritiſſime ut à Gentilitio Flore Tuo perenne DECUS Aræ Pontificiæ derivent.

